INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM JAGELLONICA

A DIE 1. OCTOBRIS ANNO MDCCCXXX.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXXXI.

INSTITUENDARUM.

CRACOVIAE

TYPIS UNIVERSITATIS.

Civibus Literarum Studiosis

S. P.

RECTOR

SEBASTIANUS GIRTLER

PHIL. ET MED. DOCT.

De Quartensibus s. Semigrossis Polonicis.

Prima *) de hac moneta minuta, sed signata tamen (braccata **) est mentio in Statuto Casimiri Jagellonidis a. 1451 e Statuto Casimiri III. Magni a. 1368. Vol. Leg. I. p. 166. *Item statuimus: quod Zuppae* (Salis fodinae) *non debent remissius vendi, nisi pro decem et octo millibus Marcis, medietas grossorum, medietas quartensium sive usualis monetae.* Braun in hist. rei numariae Prussicae Elbingae a. 1722. Germanice nominat Quartensem, *Vierchen*, nec confundendi sunt hi quartenses cum fertonibus *Vierdung, wiardunk, wiardunek, Pol.* qui quartam partem Marcae numeri Polonici s. 12. grossos efficiebant, Voigt Hist. rei num. Bohem. II. 39. 44. Constabat enim marca pa-

---

*) Antiquiores in diplomatibus mentiones vid. Czacki I. 159. a. 1203. 1238. 1292. etc.

**) Braccare significat signare monetam. Adelungii Glossarium manuale p. 772. sub voce bracatus. Prilusius p. 439. Bracatores constituimus in civitatibus et oppidis, qui illam (monetam) signent. Herburt. sub voce moneta fol. verso 163. a 1522. quod debet esse I. 475. a 1527. item Vol. Leg. I. 1547.

gamenti Polonici latis grossis 48, ut docet Ludovici Regis Poloniae et Ungariae Privilegium a. 1374. Vol. Leg. I. 56. seqq: *duo grossi usualis monetae in dicto Regno currentis, quorum 48. marcam faciunt Polonicalem.* Marcae autem vicesima quarta pars erat. *Scotus* (*Skociec*) qui quidem nunquam in Polonia cusus, sed numeralis numus continebat duos Grossos Bohemicos latos s. Pragenses (Braun l. l. 19. Czacki de jur. Lith. I. 159.) Quartensis igitur erat quarta pars Scoti Polonici numeralis monetae, s. dimidius Grossus Bohemicus latus, hinc quoque Połek, Pułk, contracte; Germanice Poelchen, Polke dictus est. Braun l. l. 29. Sed quia sermo Polonicus aequivocas voces abrogare solet, mox haec denominatio dimidii grossi Bohemici lati Pragensis in vocabulum *półgrosza* mutatum est. Non a Fulcone Thesaurario (Pełka); sed a poł, połek, połowa, dimidium, ortum fuit dimidiorum grossorum nomen. Casimirus III. autem Rex sapientissimus id curabat, ut moneta Polonica esset quam optima. Vol. Leg. I. 43. a. 1347. *ex quo unus Princeps est omnium et Dominus, statuimus: quod una moneta in toto Regno nostro debeat haberi, quae debet esse perpetua et bona in valore et pondere, ut per hoc caeteris sit gratior et acceptior.* Non differebat igitur usualis moneta quartensium in grano i. e. in qualitate a Grossis Pragensibus s. Cracoviensibus, qui Cracoviae ad eandem normam, quae in Bohemia sub Joanne Luxemburgico et Jmp. Carolo IV. ejus filio feriebantur, ut Sexagena 64. extremis temporibus 70. Grossos latos contineret. Aliter factum est snb Ludovico, qui Casimiro III. successit. De depravatione enim usualis monetae ita queritur Anonymus Gneznensis (Somersb. Script. rer. Siles. II. 106). — *Preczlaum de Golutowo militem palatinum de capitaneatu Poloniae praefatus Rex* (*Ludovicus*) *amovit, cujus tempore* (1374.) *moneta quadratariorum optima, quam Dominus Kazimirus* (III.) *Rex tempo-*

re sui regiminis (1333.—1370.) *cudere iusserat, fuit immutata taliter, quod quatuor quadrantes, quorum duo Grossum Bohemicalem valebant, post modum pro Grosso Bohemicali dari deberet, ex qua immutatione multa damna non nulli incurrerunt, quia qui decem grossos habebat, post hoc quinque habuit. Non nulli etiam IV. quadrantes pro Grosso ementes magna lucra reportarunt, quadrantes eosdem cremare facientes et exinde purum argentum reducentes.* Pejor secuta est monetae bonae immutatio sub Vladislao Jagellone et ejus filiis Vladislao Varnensi et Casimiro Jagellonide, quo facto Quartenses boni Casimiri III. aeque ac Grossi ejus Pragenses lati penitus fere disparuerunt; nam, ut rarissimi sunt Grossi lati ejus, tam cum inscriptione Pragenses, quam cum inscriptione Cracovienses, ita rarissimis rariores sunt ejus Quartenses sive Dimidii Grossi. Evanuit quoque fere his temporibus nomen Quartensium, quia in Statutis jam nullibi de eis est sermo, sed de mediis Grossis i. e. dimidiis Grossis półgrosze, qui novem denarios valebant v. g. a. 1447. 1451. Vol. Leg. I. 162. 163. *videlicet novem denarios pro quolibet medio grosso computando.* Hos denarios interpretatus est a. 1567. Herburtus p. 81. pieniądze, pieniążki, apud Bohemos Peniz, Peniże, quod Germanice Pfening sonare videtur, za pòłgrosza szerokie dziewięć pieniędzy niech będzie brano a. 1447. to iest tylko dziewięć pieniędzy w półgrosza szerokie licząc. Hanc ob depravationem monetae, quum tres hi Reges deinceps valorem monetae imminuissent, integri Vladislai Jagellonis Grossi lati Bohemici rariores Casimiri III. grossis sunt, filiorum autem ejus fere nulli inveniuntur. In haec tempora aut si Bohemica numismata spectes, jam antiquiora cadere videntur exsecti Grossi Casimiri III. Vladislai Jagellonis Leopoli cusi, quorum notitiam debemus Viris illustribus Adamo Rosciszevio et Ignatio Comiti Łoś magnis Universitatis nostrae

Evergetis. Similes in Bohemia numos fuisse laudat Voigt II. 107. n. 3. p. 29. n. 2. exsectos tamen eos non dicit. Debemus autem illustrissimo Rosciszevio et hos ambos, quos Voigtius laudavit, numos, et tertium Imp. Caroli IV. Regis Bohemiae, quintum autem Regis nostri Casimiri III. Quartensem Russiae Rubrae s. Grossum dimidium pondere Johannis Luxemburgici semigrossis aequalem, cujus pars antica in area in quatuor hemicyclis simul per segmenta junctis exhibet literam K corona insignem cum hac epigraphe inter orbiculum margaritiferum et hemicyclos † REGIS POLONIE K.—P. p. in area autem Leonem Russiae Rubrae inter duos orbiculos margaritiferos habet cum hac inscriptione: † MONETA DOJ.. VCSJE °K° Similes novem exigua varietate distinctos numos idem Vir doctissimus donavit Leopoli Bibliothecae Ossolinianae. Quos nobis autem dono dedit alios numos, pro his, ut gratias agamus quam maximas, officii nostri locus est hic accomodatissimus. His quos laudavimus Viris accensendus est Vir humanissimus, Civis noster, Palatinatui Lublinensi a consiliis, Dominus Liberatus Bormann, qui inventos in villa sua Metelin numos XXXI, quae est ejus liberalitas, nobis, alios aliis vero collectionibus donavit. Quorum duo ad lapidem Lydium si spectaveris, ut dicitur, probae V*tae*. 1. Dimidius Grossus Vladislai Jagellonis cum signo Thesaurarii, qualem exhibuit Czackius Tab. I. 9; 2. alter similis cum signo N. ib. Tab. I. 10. Quatuor vero, ut dicitur, probae IV*tae*. quorum duo sine signo 3. quintus cum signo O. sextus cum signo S. A. Omnes sunt ponderis illi duo gravioris, caeteri quatuor levioris octavam partem lotonis complexi.

Reliqui numi XXV. denarii esse videntur, nescio an Vladislai Jagellonis, an Vladislai Varnensis, an Casimiri IV. Quatuor denarii, ut dicitur, probae II*dae*. pondere suo aequant unum grossum dimidium probae IV*tae*. sed quid valuerint, an singulus unum, an binos unus

denarios, hoc nos latere lubenter fatemur. P. a. Aquilam Polonicam P. p. Coronam Regiam refert. Inscriptio nulla utrimque. Miramur etiam, cur nostri numi majores Vladislai Jagellonis scil. dimidii Grossi sint tam viles, cum Braunius nos doceat p. 28. Vladislai Jagellonis numos partes duodecim argenti puri, sed Vladislai Varnensis decem continuisse. Nec aliter rem explicandam esse credimus; nisi admiserimus: varios numos varia, ut dicitur, liga, rege connivente, thesaurario consentiente, dummodo penuriae in pecunia parata provideretur, cusos fuisse. Regibus enim illorum temporum non hi erant, qui nunc reditus, et longe alia vivendi ratio.

De Quartensibus ab illis inde temporibus altissimum silentium, quia pretium eorum et valor ita ceciderat, ut vix eos memorare liberet. Tandem docet nos Cnapius p. 345. editionis prioris 1621. p. 300. ed. posteriosis 1647. in Lexico Polonico-Latino-Graeco dimidium grossum valere tres, Solidum autem duos Quartenses (kwartniki): półgrosza ma kwartników trzy, szeląg dwa, kwartnik trzy pieniążki. Idem quartensem continere tres denarios asserit, qui quidem ter sumtus Quartensis 9. denarios efficit nominalem grossi depravati valorem. Sed ne hoc quidem gradu haec Grossi argentei lati Pragensis depravatio constitit. Decidit ejus valor et ulterius, ut Quartensis olim argenteus, aequalis dimidio Grosso fieret seculo XVII. et XVIII. ineunte Grossus Polonicus aereus, centesima et octuagesima pars Imperialis 1/180, ut Trotius in Lexico suo Polonico-Germanico testatur a. 1763. sub voce kwartnik. Caeterum nota est diminutio Marcarum et Scotorum, in valore usualis monetae. Attamen quam Marcam Polonicam dixit Schmiederus 2. grossorum, 8. denariorum p. 289. ea nobis prorsus fuit ignota. Sed nostra Polonica Marca poenalis (in Vol. Leg.) quae olim fuerat argentorum Grossorum latorum 48. facta est Grossorum

aereorum 48. seu Crucigerorum 24. ut Lithuania 75. grossorum Crucigerorum 37. 1/2. Sed his omissis, ad Vos, Cives academici, pauca, ut dicam, necesse est. Unica spes est gloriae comparandae in artibus et litteris, quas si didiceritis fideliter, nemo vestram, quam meretis, gloriam imminuet, nemo vobis laudes debitas eripiet. Manebit vobis, quam studio jugi assequemini scientia, et non peribit vitae vestrae anteactae dulcissima recordatio.

ORDO THEOLOGORUM

Matthaeus Kozłowski Ord. Praed. S. Theol. Dr. Hist. Eccl. P. O. h. t. Fac. Theol. Decanus.

Hora matutina 10—11, quotidie, die Jovis excepto, exponet Historiam Ecclesiasticam, methodo Alberi.

Florianus Kudrewicz Ord. S. Basil. M. S. Theol. D. Sacrae Script. Prof. O. P.

Horis matutinis 9—10, exceptis diebus Jovis, quotidie Archaeologiam biblicam, Hermeneuticam generalem et specialem Veteris Testamenti ac Philologiam tradet, demum explicabit Psalmos, incipiendo a Psalmo XLV.

Nicolaus Janowski S. Theol. Dr. Moral. et Pastoral. et Eloquent. Sacrae Prof. P. O. Can. Ecclesiae Cath. Crac.

Horis pomerid. 1—2. diebus quinis per hebdomadem, scilicet die Lunae, Martis, Mercurii, Veneris et Saturni, tradet Theologiam Moralem ad mentem Ecclesiae Romanae Catholicae. Idem praeleget etiam Pastoralem Theologiam et praecepta Eloquentiae sacrae.

Joannes Stanislaus Przybylski S. Theol. Doct. Ecclesiar. Cathedr. Cracov. et Archicoll. Lancic. Canonicus, a Reg. Varsav. Liter. Universit. binis Metallion. Aur. Magn. insignitus, Sacrorum Dogmatum Prof. Ord. Publ.

Singulis per hebdomadem horis matutinis 7—8, die Jovis excepto, Institutiones Dogmaticas profitebitur.

Petrus Pękalski S. Theol. D. Canon. Ord. SS. Cust. Hierosolymit. Linguarum orientalium Prof. Extraord.

Horis mat. 11.—12. diebus Lunae, Martis, Jovis et Mercurii tradet Linguam Hebraicam, Chaldaicam et Syriacam.

Joannes Mastelski S. Theol. D. Can. Kielec. Burs. Hierosolym. Senior, Prof. Extraord.

Horis pom. 2—3. diebus Martis et Saturni Theologiam Pastoralem tradet.

ORDO JURISCONSULTORUM.

Adamus Krzyżanowski J. U. D. P. P. O. h. t. Fac. Jur. Decanus.

Hora 9—10. diebus Lunae, Mercurii et Saturni, diebus autem Martis, Jovis et Veneris 8 1/2—10. Historiam Juris antiqui Polonici, deinde Codicem Civilem in Regno Poloniae vigentem, ratione Codicis Civilis Austriaci et Legum Antiquarum Polonicarum habita, tum Codicem mercantilem, qui in Regno Poloniae obtinet, cum applicatione legum, quae apud gentes vicinas in usu sunt, explicabit.

Josephus Jankowski J. U. et Phil. D. Juris Nat. et Can. Prof. P. O.

Hora pom. 4—5. quotidie, excepto die Saturni, jus naturae universum, privatum, civitatis et gentium, nec non Methodologiam et Encyclo-

paediam Juris docebit. Idem hora matut. 8—9. diebus Martis, Jovis et Saturni, jus Ecclesiasticum tradet.

Antonius Matakiewicz J. U. D. Ord. S. Stanislai IV. Classis Eques P. P. O.

Horis Matutinis ab 1/2 8—9. quotidie exceptis diebus festis, semestri hyemali Codicem Judiciarium Civilem in Regno Poloniae vigentem explicabit, et quae e Codice Civili Austriaco judiciario et legibus antiquis Polonicis huc pertinent, simul exponet. Semestri aestivo Jus Criminale, juxta textum Codicis Criminalis Austriaci, cum applicatione Codicis Criminalis Polonici tradet.

Petrus Bartynowski J. U. Dr. Prof. P. O.

Horis mat. 8—9. diebus Lunae, Mercurii et Veneris, Historiam Juris Romani et Institutiones enarrabit, horis vero mat. 9—10. quotidie Pandectas explicabit, ordine a Warnkönigio in Comment. juris Rom. priv. Leodii a. 1825. impressis, observato.

Ferdinandus Koisiewicz J. U. Dr. Viceprof.

Hor. mat. 9—10. diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis 8—10. I. Oeconomiam politicam. II. Doctrinam administrandae reipublicae generalem. III. Constitutiones Regni Poloniae et liberae Civitatis Cracoviensis explicabit. Horis pom. 3—4. diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis: I. Rem aerariam. II. Politiam. III. Statisticam.

ORDO MEDICORUM.

Adalbertus Georgius Boduszyński Med. D. Pathol. generalis, tum Therapiae generalis ac Mater. medic. P. O. P. h. t. Fac. Med. Decanus, Reipub. Crac. Protomedicus.

Horis matutinis 10—11 1/2 diebus Lunae, Martis et Mercurii, lingua latina Pathologiam generalem explicabit; diebus Veneris et Jovis iisdem horis materiam medicam et Therapiam generalem tradet.

Sebastianus Girtler Phil. et Med. D. Politiae Medicinalis, Histor. Medicinae, tum artis Veterin. P. O. P. Universitatis Rector.

Quum munere hoc et officio gravissimo districtus docendi partes ipse suscipere nequeat, eo moderante Julianus Sawiczewski Med. D. Prof. Extr. Hor. 11. cum dimidia ad 1. diebus Lunae, Mercurii et Veneris, Politiam Medicinae ex propriis scriptis lingua polon. tradet. Deinde ad praelegendum de Historia Medicinae, pariter ex propriis scriptis, secundum ordinem variarum theoriarum et systematum, cum necessaria recensione accedet, idque latino idiomate. Artem veterinariam vero, mox secundum Veith et Pilgerum, mox secundum Bojanum, aliosque Auctores diebus Martis et Jovis ab hora 11 1/2 ad 1. pomeridie explicabit.

Josephus Kozłowski M. D. Anatomiae et Physiologiae P. P. O.

Anatomiam et Physiologiam tradet idiomate polonico, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris hora 9—10. Praeterea tradet hyemali semestri pro opportunitate, tempore vespertino per duas horas continuas Anatomiam practicam. Semestri vero aestivo Physiologiam diebus Mercurii et Veneris post meridiem ab hora 4—5. tum Medicinam forensem diebus Veneris a 3—4.

Josephus Brodowicz M. D. Pathologiae, Therapiae et Clinices P. P. O.

Hor. matut. 9—10. quotidie, diebus Saturni et festis exceptis, Pathologiam et Therapiam specialem lingua latina tradet. Clinicam autem praxin ab hora 8—9. matutino tempore per annum totum docebit, latine studiosos Medicinae et Chirur. sublimioris, polonice discipulos Chir. inferioris.

Florianus Sawiczewski M. D. Pharmacice P. P. O.

Diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 8. matutina ad 9. e propriis schedis Pharmaciam docebit, qua finita, aquarum mineralium naturam et indolem explicabit.

Julianus Sawiczewski Med. Dr. Prof. P. Extr.

Hora. pom. 2—3. diebus Lunae et Veneris Thanatologiam sive Artem succurendi apparenter mortuis tradet.

Josephus Jakubowski Med. et Chir. Dr. Viceprofessor.

Diebus Lunae, Martis et Jovis ab hora 11 1/2—1 idiomate polonico Chirurgiam theoreticam, eodemque Artem obstetriciam diebus Martis et Veneris; jam autem diebus Mercurii et Jovis Institutiones medico-chirurgicas docebit.

Josephus Placer Med. et Chir. D. Viceprof.

Hor. pom. 3—4. hyemali semestri, 6—7. autem aestivo, diebus Lunae, Mercurii et Veneris in curationibus chirurgicis rite instituendis Auditores ad praxim formabit.

Hor. mat. 7—8. Clinicen Chirurgicam duce Richerand, obstetriciam vero ducibus Baudeloque, Boer et Widmann quotidie exhibebit.

ORDO PHILOSOPHORUM.

I. FACULTATIS MATHEMATICAE ET PHYSICAE.

Aloysius Estreicher Phil. et Med. D. P. P. O. h. t. Facultatis Mathem. et Phys. Decanus.

Hora matut. 10—11. quotidie exponet Zoologiam per semestre hyemale, ducibus Cuvier, Oellen, Illiger, Lamark et aliis, qui hac de re tractarunt.

Hor. matut. 6—8. Botanicen tradet per semestre aestivum.

Hor. pom. 2—3. Diebus Martis et Jovis tradet doctrinam de generis humani varietate nativa, per semestre hyemale.

Hor. pom. 6—8. exercitationes botanicas instituet et ad Botanicae practicae ussum manu ducet, atque Dendrologiae rudimenta per semestre aestivum tradet.

Carolus Hube Phil. D. Matheseos sublimioris P. P. O.

Hora matut. 8—9. quotidie, exceptis diebus Saturni, tradet Analysin finitorum, calculum analytico-trigonometricum, Trigonometriam sphaericam et Geometriam Analyticam, praecipue theoriam superficierum secundi gradus, duce Hachette.

Hora matut. 9—10. diebus Lunae, Mercurii et Veneris, calculi differentialis et integralis applicationem ad Mechanicam sublimiorem docebit.

Romanus Markiewicz Phil. D. P. P. O.

Hor. matut. 8 1/2—10. quater de hebdomade, die vero Martis ac Veneris 9—10. Phsyicam experimentalem ac theoreticam tradet. Opus Clarissimi Despretz, quod inscribitur: *Traité elementaire de Physique* secuturus.

Franciscus de Paula Sapalski, Phil. D. Geometriae descriptivae P.O.P.

Horis 12—1½. Geometriam descriptivam tradet theoreticam, deinde accomodatam perspectivae umbrarum, artibus fabrilibus et Gnomonicae, diebus Lunae, Mercurii et Jovis.

Hor. 4—5. pom. diebus Veneris et Saturni Mechanicam et Hydraulicam per semestre aestivum.

Hora 11—12. matut. diebus Solis, opificibus et artificibus tradet Architecturam et Mechanicam practicam.

Franciscus Szopowicz Phil. D. Mathes. Infer. P.O.P.

Horis matut. 10—11½. diebus Lunae, Martis 10—11½. diebus Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni Mathesim inferiorem duce Lacroix docebit.

Maximilianus Weisse Phil. D. P. P. O.

Hor. matut. a 9½—11. Astronomiam Theoreticam, horis pomer. a 3—4. Astronomiam practicam diebus Martis et Jovis propriis e schedis praeleget.

Felix Radwański Architecturae Prof. P. O.

Horis pom. 1½—3. quotidie profitebitur Architecturae disciplinas. Scilicet cursu in biennalem diviso, diebus Lunae, Mercurii et Saturni tironibus praelectiones populari methodo ad practicum usum ex universa Architecturae scientia accomodatas, diebus Martis, Jovis et Veneris hor. pomerid. 3—4. sublimioris Architecturae partes tradet.

Florianus Sawiczewski M. D. Pharmaciae P. P. O.

Horis mat. 11—12. quotidie exceptis festis Chemiam docebit.

Ludovicus Zeischner Phil. D. P. P. Extraor.

Hor. pom. 3—4. dub. Martis, Jovis et Veneris Mineralogiam tradet.

II. FACULTATIS LITERARIAE.

Julianus Czermiński Phil. D. Historiae P. P. O. h. t. Facultatis Phil. Literar. Decanus.

Hor. matut. 11½—12½. quotidie, diebus Lunae, Mercurii autem a 5—6.

pom. enarrabit I. historiam antiquiorem et recentiorem. II. Geographiam Physicam et Politicam. III. Docebit artem criticam, quae ad legendos historicos est necessaria. IV. Observationes in historiam universalem duce Ferrando (Esprit de l'Histoire) tradet.

Georgius Samuel Bandtkie Phil. D. Bibliographiae P. P. O. et Bibliothecarius.

Ho. pom. $1\frac{1}{2}$—3. die Mercurii, Veneris et Saturni, Bibliographiam profitebitur. Collegium styli cultioris duce Beckio (Artis latine scribendi praecepta Lipsiae 1802). et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet diebus Martis, Jovis et Veneris, hora $7\frac{1}{2}$—9.

Paulus Czaykowski, Phil. D. Literaturae Polonicae et comparativae P. P. O.

Hor. matut. 10—11. traditis praeceptis Eloquentiae et Poëseos, per Classicorum Auctorum exempla illustratis, Auditores ad exercitia Linguae Patriae in utroque orationis genere ducet.

Hermanus Schugt, Phil. D. Linguae Graecae P. O. P.

Hor. mat. 11—12. quotidie carmina Pindari explicabit.

Joannes Cajetanus Troiański, Phil. D. Literaturae Latinae Professor P. O.

Profitebitur sexies per hebdomadem hora pom. 2—$3\frac{1}{3}$ et diebus quidem Martis et Jovis explicabit Caesaris Comm. de bello civili, die Mercurii Adelphos Terentii; item diebus Lunae et Saturni antiquitates Romanorum tradet, die Veneris historiam liter. lat. enarrabit.

Joh. Hier. Rzesiński J. U. et Phil. D. Viceprofessor.

Hor. pom. $3\frac{1}{2}$—$4\frac{3}{4}$. docebit Philosophiam theoret. et practicam diebus Lunae, Mercurii et Veneris; exercitationes vero paedagogicas instituet die Martis. Die Jovis Historiam Philosophiae e propriis schedis profitebitur.

Lectorium in Bibliotheca publica Univ. Cracov. patebit hor. pom. 2—4. diebus Lunae, Martis et Jovis. Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Musea, speculam Astronomicam, et Hortos Botanicos invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummo-

do tempus Praelectionibus sacrum Bibliothecario et Praefectis Museorum Mineralogici, Zoologici et Hort. Botan. condonare velint. quovis tempore, de commoda hora certiores facti, curiosis hospitibus nunquam deerunt. Museum Physicum patebit curiosis, qui adesse dignabuntur, hora 10. matutina, finita praelectione.

Linguam Anglicam tradet Hermanus Schugt 12—1. Germanicam Ludovicus Tessarczyk hor. pom. 2—3. Italicam Stephanus Laberi 5—6. Petrus Augustinus Ledru Linguam Gallicam docebit quater de septimana diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni a 11—1. Alexander Sołłowiewicz tradet linguam Rossicam et historiam literaturae Rossicae ab hora 4—5. post meridiem.

Artem saltandi Petrus Couder quater per hebdomadem hor. pom. 6.—7. diebus vero Martis et Mercurii 3—4. Jo. Bapt. Remy artem arma tractandi hora. pom. 2—3.

SCHOLA PICTORIA
ET SCULPTORIA.

Josephus Peszke Pictoriae artis Prof. P. O.

Tradet artem pictoriam semestri brumali hor. mat. 8—12. semestri aestivali 7—11.

Josephus Brodowski Pictoriae artis Prof. P. O.

Jisdem horis docebit artem pictoriam practicam et theoreticam.

Josephus Szmelcer Sculptoriae Artis Prof. P. O.

Horis mat. 11—12. docebit Sculpturae artem.

Joannes Nepomucenus Bizański Anatomiae et Perspectivae Prof. Publ. Extraord.

Hora mat. 11—12. diebus Jovis, Veneris et Saturni Anatomiam et Perspectivam tradet.